

fideliter seruiamus ut eum in distri
cto iudicio cum gaudio videamus. Quod n

Dominica post ascen.

Cum venerit paraclitus quem ego
mittam vobis a patre spiritum
veritatis qui a patre procedit ille testimo
nium perhibebit de me. Nota quod dominus
predicens fidelibus suis quod propter ipsum
essent ex synagogis idest ex hominum
collectionibus eiciendi et quod eciam fo
rent varijs cruciatibus interficien
di promittit se eis transmissurum spiritum
veritatis qui eos utpote paraclitus in
diuersis tribulacionibus consoletur et quod
testimonium perhibeat filio dei quod militi
bus suis qui bene certauerint premium
gloriosum sit daturus. Perhibet igitur
spiritus sanctus testimonium filio dei quod fide
libus suis septemplicem hostem vincen
tibus septiforme premium largietur. Unde
in apo. ij. et iij. c. vbi dominus ponit premia
que dabit victoribus suis promittitur.
semper premio vel subiungitur. Qui ha
bet aures audiendi audiat quid spi
ritus dicat ecclesijs. Igitur de premio illius
qui vicerit gulam dicit filius dei apo.
ij. vincenti dabo edere de ligno vite.
quod est in paradiso dei mei. Quid au
tem sit gula dicit diffinicio. Gula est ille
cebrosus et auidus causa solius cor
poris ciborum appetitus. Qui igitur vice
rit gulam testimonio sancti spiritus
comedet de ligno vite. hoc est saciabitur
diuina dulcedine que est in paradiso dei
patris. Sequitur premium illius qui vi
cerit inuidiam apo. ij. qui vicerit non
ledetur a morte secunda. Nota quod inuidi
a est dolor ex aliena felicitate nascens
animum torquens. Inuidia igitur est quasi prima

mors anime proprie. qui hanc vicerit non
ledetur a morte secunda. idest euadet
mortem eternam et vitam inueniet sem
piternam. De premio quod dabitur illi qui
vicerit iram dicit apo. ij. vincenti da
bo manna absconditum et dabo illi cal
culum candidum et in calculo nomen
nouum scriptum quod nemo scit nisi qui
accipit. Nota quod ira est strictus fer
uor animi concitati vlciscendi libidi
ne feruens. Nota eciam quod aufert homi
dulcedinem mentis et obscurat racio
nem eius et asscribit eum perpetue dampna
cioni. Qui igitur vicerit iram dabitur ei
in regno dei delicata et mortalibus in
experta dulcedo mentis que per manna
absconditum figuratur. Dabitur eciam ei
claritas diuine cognicionis et vocabi
tur heres dei que duo per calculum can
didum et nomen nouum exprimuntur. De
premio quod ille accipiet qui vicerit
accidiam dicit apo. ij. qui vicerit et cu
stodierit vsque in finem opera mea. dabo
illi potestatem supra gentes et reget il
las in virga ferrea et tanquam vas fi
guli confringentur sicut et ego accepi
a patre meo. et dabo illi stellam matu
tinam. Nota quod accidia est torpor animi
quo quis aut negligit bona inchoa
re aut inchoata fastidit perficere. Qui
igitur vicerit accidiam et vsque ad
finem custodierit opera dei. dabitur ei
magna potestas super gentes idest super de
mones et malos homines qui eum
olim in dei seruicio et in bonis operibus
impediuerunt. et virgis ferreis percuti
et eos. et percussi tanquam vas figuli con
terentur. Dabit eciam eis dominus stellam
matutinam. hoc est quia libenter ad
matutinas surrexit et ad alias horas

Cum venerit paraclitus quem ego mittam vobis etc. Joh. 14. Mouere posset hominem quare cristus dominus
spiritum sanctum paraclitum nominauerit. huius racionis pulchre ponit doctor quidam nomine didimus dicens
spiritum superuenientem consolatorem dicit. quia non solum eos quos se dignos reperit ab omni perturbacione
reddit alienos. Unde eciam incredibile quoddam gaudium eis tribuit. Non solum autem nominauit eum
xpus dominus paraclitum hoc est consolatorem sed eciam spiritum veritatis. Unde Crisostomus. Propterea eciam
spiritum veritatis vocauit vt ostendat quod erat fide dignus. De hoc spiritu loquens cristus dixit
Cum venerit paraclitus etc.

TECHNISCHE UNIVERSITÄT DARMSTADT
http://tudigit.ulb.tu-darmstadt.de/show/inc-iii-183/0160
Universitäts- und Landesbibliothek Darmstadt